

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

Alia. Cernelivs Andreas

[urn:nbn:de:bsz:31-109179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109179)

incidamus in illius tyranni manus. S. Reddamus inter nos vicissim, altero recitante, altero codicem inspiciente. I. Pulchrè mones. S. Fac presentis animo. Nam metus officit memoria. I. Facile deponerem pavorem, si non adesset periculum. At in tanto discrimine quis posset esse securus animo? S. Fa-teor: attamen non agitur de capite, sed de parte di-versa.

(a) Orbilius literatorem Horatius plagosum appel-lat. Lege Suet. in lib. de clar. gram.

Alia. Colloq. Helv. p. 41.

CORNELIVS. ANDREAS.

C. Scitè tu quidem pingis, sed charta tua per-fuit. Charta subhumida est, ac transmittit atra-mentum. A. Quasò ut appares mihi pennam hanc. C. Dcst mibi gladiolus scriptorius. A. En tibi. C. Hui quàm obtusus! A. Accipe coticulam. C. Virum amas scribere cuspide duriusculà, an mol-liore? A. Aitempera ad manum tuam. C. Ego mol-liore soleo. A. Quasò ut mihi describas ordine fi-guras elementorum. C. Græcas an Latinas? A. La-tinas primum conabor imitari. C. Suppedita char-tam. A. Accipe. C. Sed meum atramentum di-lutius est, subinde infusà aquà. A. At meum linteolum prorsus exaruit. C. Immunge, nisi ma-vis immergere. A. Imò potius rogabo alicunde. C. Prestat habere domi, quàm rogare commo-datò. A. Quid est scholasticus absque calamo & atramento? C. Quod miles absque clypeo & gladio. A. Utinam mihi essent articuli
tam

tam celeres. Equidem non possum dictantis vocem scribendo adsequi. C. Prima cura sit, ut bene scribas: proxima, ut celeriter. Sat cito, si sat bene. A. Belle: sed istam cationem cane præceptori, cum dictat; Sat cito, si sat bene.

Agendi gratias formula.

PETRVS. CHRISTIANVS.

P. Gratum mihi fecisti, quod aliquoties ad me scripseris. Habeo gratiam, quod ad me crebrius scripsisti. Amo te, quod interdum ad me literas dare non dedignatus es. Habeo gratiam, quod crebris literis me videris. Ago tibi gratias, qui literarum fasciculis nos oneraris. Maxima tibi à me habetur gratia, qui nos aliquando literis lacefferis. Pergratum mihi fecisti, quod nos dignatus sis tuis literis. Debeo tibi multum pro tuis humanissimis ad me literis. Magni beneficii loco duco, quod non es gravatus ad me scribere.

Responsio.

C. Imò meum est deprecari culpam impudentiæ, qui non veritus sim, tibi homini tum occupatissimo, tum doctissimo, meis illiteratis literis obstrepere. Agnosco solitam tuam humanitatem, qui meam audaciam boni consulueris. Verebar ne quid offendifsent te mea litera, quod nihil omnino responderes. Non est quod agas gratias: mihi plus satis est, si sedulitatem meam accepisti in bonam partem.

Nova